



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1276 Usque Ad Annum 1312

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1766

VD18 90118251

§. 7. Agitatur consilium subveniendi Palæatinæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67012](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67012)

Sæcul. XIV. batur mensibus Augusto ac Septembri.
A. C. 1306. Pauculi quidam salutis fonte se curabant
 ablui, ac remanebant: de cæteris multi
 in via ex defatigatione aut moerore
 interierunt.

§. VII.

*Agitatur consilium subveniendi
 Palæstinæ.*

*Bal. I. p. 6.
 C. Nang.
 p. 624.*

Papa Lugduni cum Rege Philippo &
 Cardinalibus deliberabat inter alia de
 suppetiis terræ sacræ ferendis: ac de
 consilio eorum Hospitalarii Templarique
 Ordinum Magistros in Oriente versantes
 ad se accivit in Franciam. Ad priorem
 scripsit in hanc sententiam: Ad exequenti-
 dum quam maturissime propositum no-
 strum acriter excitamur a Regibus Cy-
 pri & Armeniæ, qui nos urgent, ut sibi
 auxilia submittamus. Idcirco statuimus
 ea de re tecum atque cum Magistro Tem-
 pli consultare, præsertim quia ob loco-
 rum vicinitatem, longam experientiam,
 & multam meditationem vestram nobis
 melius quam alii, quid agendum sit, sua-
 dere scietis; præterquam quod nego-
 tium post Ecclesiam Romanam vos ma-
 xime contingat. Mandamus itaque, ut
 venias, quam poteris, secretissime ac mi-
 nimo cum comitatu, quia sat multos Or-
 dinis

dinis tui fratres cis mare invenies. Re-
linques autem in regione illa spectatæ
virtutis Vicarium ac Equites ad eam be-
ne tuendam idoneos, ne illi tua ex ab-
sentia, quæ diutina non erit, discrimen
immineat. Aliquos tamen adduces,
quos usus rerum, prudentia & fidelitas
sua reddit habiles ad bona consilia tecum
nobis suggerenda. Dabat Burdigalæ 6
Junii anno 1306.

Sæcul. XIV.
A.C. 1306.

Magister Templi protinus obsecun-
dans in Galliam se conferebat. Sed al-
ter relicta Cypro in itinere substitit, ut
invaderet insulam Rhodum occupatam
per Turcas Constantinopolitano Impera-
tori obnoxios. Hospitalarii primum par-
vis quibusdam insulis, & Castellis aliquot
potiti molitionem annis quatuor conti-
nuabant, obsidentes modo, modo obses-
si: sed tandem prosperum res successum
habuit. Interim eorum Magister misit,
qui Papæ tarditatem itineris excusaret.

Bal. I. p. 65.

§. VIII.

Papæ morbus.

De subsidiis terræ sacrae mittendis ac
de aliis magni momenti rebus agen-
di gratia Clemens duos Cardinales, Be-
rengarium Fredolium, ac Stephanum
Suissium ad Regem Philippum legavit,
eum-